

SECTIO VI.

Utrum propter peccatum contra solam externam confessionem fidei, aliqua pœna ipso jure incurratur?

1. *Peccatum contra confessionem fidei potest Ecclesia punire.* — Diximus de obligatione confitendi fidem, et de modis quibus contra illam peccatur; superest, ad complementum hujus materiæ, ut de pœna quæ huic culpæ correspondere potest, breviter dicamus. Est autem sermo de ecclesiasticis pœnis, nam de pœna quæ correspondet in foro Dei non opus est agere; nihil enim peculiare in hoc peccato revelatum est, præter ea quæ cæteris sunt communia; supponimus autem posse Ecclesiam hæc peccata punire, etiam pœna ipso jure lata, quia sunt peccata externa et sensibilia, quæ subjacent foro Ecclesiæ, etiamsi per talia peccata fides interna non negetur; sic enim consuevit Ecclesia punire magos et ariolos, lamias, et similes, qui dæmones colunt, vel pacta cum illis habent, etiamsi hæretici proprie non sint, ut videre licet in Directorio Inquisitorum, part. 2, quæst. 43 et sequentibus; et Simane., in Catholicis institutionibus, tit. 32 et 37; et Castro, lib. 4 de Justa hæreticorum punitione, cap. 22 et sequentibus; cum ergo de potestate constet, de facto dubium est an talis pœna sit lata.

2. *Quæ pœna sit imposita clerico promoti ad beneficium, si fidei professionem omittat.* — Deinde adverte ex dictis, duobus modis peccari posse contra confessionem fidei, scilicet, omittendo illam tempore debito, vel committendo contrariam negationem. De primo defectu nihil in antiquis canonibus invenio, nec sub censura cautum, nec punitum; solum ergo quoad hoc membrum animadverti potest lex lata a Concilio Tridentino, sessione 24, capite duodecimo, de Reformatione, ubi clericus promotus ad beneficium habens annexam curam animarum, vel ad canonicatum, aut dignitatem in ecclesiis cathedralibus, si intra duos menses a die promotionis suæ non fecerit professionem fidei modo ibi præscripto, privatur fructibus sui beneficii, donec illam faciat. Verba Concilii sunt: *Non faciant fructus suos*, quæ verba inducunt pœnam ipso facto, et obligant in conscientia ante omnem punitionem ad non retinendos fructus, tanquam non suos; et in sessione 25, c. 2 de Reformatione, præ-

ceptum ponitur Prælati, ut in prima Synodo post suam promotionem professionem fidei faciant, quam si omiserint, additur, ut provinciales episcopi Pontificem moneant, et interim a talis prælati communione absterneant, quod est veluti quædam censura. Ac denique Pius V, in quodam motu proprio, qui incipit: *In sacrosancta*, excommunicationem ipso facto tulit, non tam contra promotos, quam contra promoventes alios ad beneficia absque fidei professione; sed ille non videtur usu receptus, de quo legi potest Sanchez, lib. 2 in Decalog., cap. 5. Et hæc de prima culpa.

3. *An negantes fidem in solo actu externo pœnas hæreticorum incurrant.* — *Affermat Cajetanus.* — *Ejus primum fundamentum.* — *Secundum.* — *Tertium.* — *Quartum.* — In præsentem vero præcipue agimus de peccato commissionis per externam fidei negationem, quod semper fuit ab Ecclesia gravissime punitum, ut constat ex Concilio Ancyrano, per plures canones; et ex Concilio Eliberitan. 1 et 2, ubi etiam in articulo mortis isti communione privabantur, qui rigor postea temperatus fuit, ut constat ex Siricio Papa, in epistola ad Thimerium, Tarraconensem Episcopum, cap. 3, ubi non latam, sed ferendam excommunicationem illis verbis significat: *Quos a Christi corpore et sanguine abscindi jubemus*; et addit: *Quandiu vivunt, agant pœnitentiam; si tamen resipiscunt, eis est in ultimo fine reconciliationis gratia tribuenda.* Hinc ergo superest nobis quæstio, an sic lapsi exterius sine interna infidelitate ipso facto excommunicationis pœnam, vel alias apostatis impositas incurrant. Nam partem affirmantem docuit Cajetanus 2. 2, quæst. 12, art. 1, et quæst. 94, artic. 2, primo propter multa jura quæ absolute sic puniunt Apostatas, præsertim cap. *contra Christianos*, de Hæreticis, in 6, et alia multa in Decret. 26, quæst. 7; et ex Gregorio XI, lex peculiaris refertur in Directorio inquisitorum, 2 parte, quæstione 45. Secundo, quia Ecclesia non punit actus internos, sed externos; hoc autem delictum exterius factum ejusdem rationis est, sive fiat cum interna infidelitate, sive absque illa. Unde multa similia delicta, ut Magiæ, et similia, puniuntur ab Ecclesia, etiamsi absque interna infidelitate fiant, ut specialiter declaravit Joann. XXII in decretali revelata in dicto Directorio 431. Tertio, quia de facto isti absolvuntur, et Ecclesiæ reconciliantur, et aliis pœnis afficiuntur; ergo signum est incurrisse censuras et

pœnas. Quarto, argumentatur Cajetanus, quia qui furatur, incurrit pœnas contra fures latas, sive ex metu, sive ex alio motivo furetur; ergo similiter in præsentem.

4. *Resolutio quæstionis negativa.* — Nihilominus dicendum est eos, qui vel tormentorum metu, vel propter cupiditatem temporalium honorum aut honorum, exterius tantum et ficto animo fidem negant, et actiones confessioni fidei contrarias exercent, non incurere pœnas, seu censuras latas simpliciter contra hæreticos, vel apostatas. Hæc est communior sententia, quam docet Sylvester, verbo *Apostasia*, 1, q. 1, et verbo *Hæresis*, q. 5, 6 et 9; Angel., verbo *Apostata*, q. 6; et Tabien., verbo *Hæreticus*, n. 2, et verbo *Apostasia*, n. 3; Navar., cap. 110, n. 27, c. 27. n. 56; D. Antoninus, 2 part., titulo 18, capite 5 et 6; Tolet., libro 4 Sum., capite 4, numero 6; Azor., tom. 1, lib. 8 Institut. mor., cap. 9, q. 9, 10 et 11, et cap. 21, q. 5 et 6; et plures alios in simili quæstione de externo idololatra retuli in tom. 1 de Religione, libro 2 de Superstitione, capite 6, in fine. Ratio est, quia lex pœnalis est stricti juris, et restringenda ad delictum perfectum et consummatum, quatenus per verba legis significatur; quod principium, ex materia de censuris et ex materia de legibus, tanquam certum supponitur. At vero leges seu canones simpliciter puniunt hæreticos et apostatas, sub quibus nominibus isti sic lapsi in confessione fidei non comprehenduntur. Nam imprimis non sunt simpliciter hæretici, ut patet, quia fidem retinent; nec etiam sunt simpliciter apostatæ, ut recte docuit Alens., 2 part., quæst. 163, membro 2, et innuit divus Thomas 2. 2, quæst. 12, art. 1, ad secundum; et probatur, quia isti simpliciter et vere non recedunt a fide et religione Christiana, sed tantum fecte, et ideo simpliciter non committunt apostasiam veram, quæ est apostasia perfidiæ, sed tantum fictam et simulatam; non ergo incurunt pœnas latas simpliciter contra hæreticos vel apostatas.

5. *Corollarium secundum ex proxima resolutione.* — *Ad fundamenta Cajetani in n. 3.* — Ex quo inferitur primo, hujusmodi homines propter tale crimen nullam censuram ipso facto incurere. Probatur, quia non invenitur specialiter contra illos lata. Secundo, inferitur tale crimen non esse reservatum Papæ, nec juri communi; probatur, quia secundum commune jus nullum peccatum est reservatum Papæ, quod censuram annexam non habeat, nisi fiat particularis exceptio, quæ in hoc casu

non invenitur. Ex dictis colligitur facilis responsio ad fundamenta Cajetani: nam ad primum jam declarata sunt illa jura. Ad secundum vero respondetur Ecclesiam non punire actum internum separatim ab externo; punire tamen externum, ut procedit ab interno, et ejus malitiam induit, et ideo per dictas leges non punit hunc externum actum, quia non procedit ab infidelitate, quam præcipue per illas leges punire intendit. Quod secus est in aliis quæ feruntur contra Magos, verbi gratia, vel ariolos. Ad tertium vero respondetur illam absolutionem dari ad cautelam propter præsumptionem, et peccatum illud propter suam malitiam etiam puniri ab homine; aliter vero quam propria hæresis, vel apostasia, quando in foro externo sufficienter fidelis animus præsumitur. Ad quartum, negatur similitudo; nam furtum in sua malitia non pendet ab interna intentione, eo modo quæ hæresis vel apostasia. Nam furtum est peccatum in sua specie perfectum, quantumvis ex metu fiat; non autem hæresis aut apostasia, si deest falsa existimatio.

DISPUTATIO XV.

DE PECCATIS FIDELIUM CONTRA INTERNUM PRÆCEPTUM FIDEI.

1. *Quotuplex peccatum contra fidem internam committi possit.* — In præcedenti disputatione, propter materiæ brevitatem et commoditatem simul dixi de præcepto exterioris confessionis fidei, et de peccatis quibus violatur; in prioribus autem disputationibus, quamvis præcepta de interna fide explicuerim, tamen tractatum de peccatis contrariis, quia longam disputationem postulant, in hunc locum reservavi. Peccatum autem contra fidem internam duplex in genere distingui potest. Unum est ita repugnans ipsi fidei ut illam excludat, quod generali nomine infidelitas appellatur. Aliud est quod fidem non excludit; et hujusmodi vocamus peccatum, quod in homine fidei esse potest non solum divise (ut sic dicam), sed etiam composite: nam primum peccatum infidelitatis etiam ab homine fidei committi potest; sic enim contingit fidelem hominem in hæresim labi, non tamen retinendo fidem, et ideo dicimus fidelem posse infidelitatem committere, non in sensu composito (ut aiunt), sed in diviso; nam qui erat fidei potest infidelis fieri, amittit tamen fi-